



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Martini Lvtheri Piae Ac Doctae Operationes In Dvas Psalmorum Decades

Luther, Martin

Basileae

VD16 L 5540

Deus qui das uindictas mihi, Et subdis populos sub me.

urn:nbn:de:hbz:466:1-37005

intendit mihi, Et dimisi eos secundū desideria cordis eorum, ibunt in aduersi-

onib⁹ suis. Et Prouer. j. Et comedēt fructus uix suæ, suisq; cōsilijs saturabunt.

*Iustitiarij
scrupulosi
semper.* Nec posset res ista iustitiarum impiorum aptius & significantius dici, q̄ q̄ co-
trahunt in angustijs suis, uidemus enim omnes tales, q̄ sint scrupulosi & con-
scientiæ, ut etiam ibi timeant ubi timor non est, & ibi peccatū suspi-
centur, ubi forte meritum est, adeo angustam sibi ipsi, tum opinionibus, tum
traditionibus suis, faciūt uiam, semper in quieti, semper scrupulosi, semper me-
ticolosi, quos Colof. ij. Paulus pulchre tangit, ubi eorum uerba uidet, dicens:
Ne tetigeritis, nec gustaueritis, nec contractaueritis, quæ pereunt ipso usu, ra-
tionem quidē sapientiæ habentia. Ita enim suis statutis imbuti, hoc non li-
cet, & hoc non licet, deniq; nihil eis licet, nisi esse impios in deū & homines,
Exempla sunt nostro seculo, sacerdotum & religiosorū mores & ritus.

Hi ergo semper errant corde, & non cognouerunt uias domini, ut psal. x.
dicit, quos. iij. Reg. Helias figurat, dum Baalitas increpat. d. Vsq; quo claudica-
tis in duas partes. Claudii enim sunt, dum altero pede tantum, aut utroq; non
ambulant, & tamen quia mouentur, similes sunt ambulantiibus, hoc fit, dum
affectu impio incedunt in litera seruitutis, operibus suis & semitis suis deo ser-
uire præsumentes.

Viuit dominus & benedictus deus meus,

Et exaltetur deus salutis meæ.

Finita sua & ecclesiæ historia seu prophetia, reuertitur ad laudandam & be-
nedicendum deū, potest autem laudātis affectu intelligi dictum, Viuit, id est,
eius sit uita & benedictio, sicut dicit: Soli deo gloria & honor. Sic & Aposto-
lus, j. Cor. xv. Qui solus habet immortalitatem, ita solus uiuit & solus est benedi-
ctus, ita solus est, qui exaltari debet, ut eius solius sit gloria, hoc modo in iudici-
am perfidiam dicit, qui suis angustijs, uitam, benedictionem & gloriam quer-
runt, quas oportuit soli deo tribui & acceptas referri, unde dicit, Deus salutis
meæ, id est, qui saluum me facit, nō ego me ipsum meis uiribus, tropo uisitato,
quo deus iustitiæ meæ, psal. iij. dicitur, id est, qui me iustificat. In hebræo autē,
Benedictus deus meus, זורי Zuri dicitur, quod aliquādo pro petra, aliquādo
pro fortitudine transfertur, ut in principio psalmi huius uidimus, Deus meus
fortitudo mea, sperabo in eo, Ita & hic, deum laudat, ut in quo fortitudinē suā
sitam confitetur, non in seipso.

Potest etiā gloriantis affectu hic uersus dici, in despectum eorū, qui contra-
hunc suis angustijs, q̄ neq; uitā, neq; fortitudinem, neq; gloriam dei habeant, ac
per hoc nec salutē, quæ non nisi in domino habet per libertatē fidei.

Deus qui das uindictas mihi, Et subdis populos sub me.

Deus qui das, pro, qui das, more suo, Duplici sensu potest hoc dici, primo,
das uindictas mihi, id est, uindicas me, ut psal. cix. Donec ponam inimicos tuos,
os, scabellum pedum tuorum. Secundo, das mihi uindictam facere, quia con-
stitutus est iudex uiuorum & mortuorum, & Iohan. vj. Dedit ei potestatem
iudicium facere, quia filius hominis est, Vbi non seipsum clarificasse docetur,
nec seipsum uindicasse, nobis in exemplum, ne arrogātes & ambiciosi simus.
Ita uindicat Christus Iudæos impios, & regnat super gentium populos credu-
los; Dextera dei in hoc exaltatus, & dominus omnium factus.

Liberator